G.1095.

DE ANIMA MEDICA PRÆLECTIO

EX

LUMLEII ET CALDWALDI

INSTITUTO,

IN

THEATRO COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIUM,

AD SOCIOS HABITA,

Die DECEMBRIS 16to. Anno 1748vo.

A FRAN. NICHOLLS, M. D.

Reg. Societatis Sodali, & Medico Regio extraordinario.

Cui, quo clariùs eluceant, quæ in ipsâ prælectione figuratè explicantur, accesserunt notæ.

Deum te igitur scito esse: si quidem Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tàm regit, & moderatur, & movet id corpus, cui præpositus est, quàm hunc mundum ille princeps Deus. Cicero in somnio Scipionis.

LONDINI,

Apud PAULUM VAILLANT,

M.DCC.L.

1184. c. 13. 6

R.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

DE

ANIMA MEDICA PRÆLECTIO

AD

SOCIOS COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIUM,

EX

LUMLEII ET CALDWALDI

INSTITUTO HABITA,

Die 16to. Decembris, Anno 1748vo.

SI inter dignum atque honeſtum quid intereſſe vellem, hunc honeſti nomine deſignarem, qui, dum turpia omnia atque indecora fugit, dum, ne alteri injuriam fecerit, cavet, dum eas virtutes colit, quæ hominum fidem atque benevolentiam conciliant; de aliorum rebus,

de ipſâ etiam republicâ, minimè ſolicitus ad ſe ſolum, ſuamque pacem, otium, atque felicitatem, omnia refert. Solus contrà dignus, ſolus ille cultu, atque honoribus, ornandus videretur, qui ad aliorum commoda magnum aliquid, & eximium, contulit: tantumque tribuendum cuique dignitatis, quantum vel ſuis, vel civibus, vel humano generi, profuit. Eâ enim lege naſcimur, & ea habemus principia naturæ, quibus parere, & quæ ſequi, debemus, ut hominibus conſulere, & humanæ ſocietati inſervire, debeamus: ut utilitas noſtra communis utilitas, viciſsìmque communis utilitas ſit noſtra.

Suæ enim imbecillitatis, atque impotentiæ, conſcii in eos omnia homines libentèr conferunt, quorum vel opibus, vel conſiliis, vel virtutibus, fit, ut tuti, ſalvi, atque beati, vivant. Hinc parentibus apud ſuos dignitas; hinc magiſtratibus apud cives auctoritas; hinc purpura, ſplendoris &

im-

imperii insigne, ducibus & regibus communi hominum pacto tribuuntur; hinc æquissimum commercium inter homines instituitur, ut, dum optimi cujusque labore, ingenio, virtute, fruimur, amplissimo dignitatis præmio (quæ aliundè non paratur) eadem rependamus. Non fasces itaque, non purpuram, non exstructas in altum divitias, non ingenium artibus, & scientiis, utcunque ornatum & imbutum; sed animum communi utilitati inservientem, dignitas sequitur: cùm communi hominum consensu sola sit cultu, atque publicis honoribus, digna illa virtus, quæ ad eorum rem confert, & in promovendâ humani generis felicitate tota occupatur.

Neque alia est ex consociatis hominibus communitatum ratio; nisi quod, cum honoribus, & immunitatibus, ornentur, cum opibus, & auctoritate, pacto fœdere muniantur, ut junctis viribus, & consiliis, publicæ utilitati meliùs inserviant, neque spem fallere,

neque inſtitutionis ſuæ conditiones eludere, ſine ſummo dedecore, atque turpitudine, poſſunt.

Nos, ſocii, medicæ communitatis decus ſuſtinentes eâdem lege, ſi artis dignitatem tueri volumus, eodemque jure, retinemur. Artem profitemur, quâ dolores corporis, tædia vitæ, tollantur; quâ vita ſecùs perituris conſervetur; quâ mens æqua, & pacata, ſortem ſuam, & ærumnas, fortitèr perferat; magna hæc, & præclara, nos Deæ ſalutis antiſtites populo proponimus. Si implere hæc omnia, atque exequi, poſſet ars noſtra, de populo optimè merentes ampliſſima quæque, decus, & dignitatem, jure conſequeremur. Quod ſi anceps adeò ſit, & incerta, medicæ artis exercitatio, ut, qui feliciſſimè eam exercuerit, redditâ actorum ratione, parùm habeat, quo ſuperbiat *; ſi, vel

* [*Superbiat.*] Inter ea, quæ medicinam variis modis implicant, & perturbant, non leve eſt, quod in quibuſdam morbis affectiones, & dolores, adeò a

vel ob animalis ſtructuram minùs perſcrutatam, vel abſtruſam, nec obſervatam ſatis, naturæ vim tam in motibus ſuis exequendis, quam in ſymptomatis vel remittendis, vel præter morbi rationem augendis, ita ſit ardua & obſcura ars medica, ut neque ægrotantium, neque medicorum, votis ſatis reſpon-

ſede morbi diſtent, ut nullo, aut ſtructuræ, aut ſitûs, aut officii, nexu conjungi videantur. Ita duræ matris tenſiones, ſive a fracti cranii ſpiculis, ſive a membranæ inflammatione, illæ proveniant, comitem habent ventriculi ægritudinem, atque vomitum. In calculo veſicæ penis glans ſæpiſſimè prurit, dum ipſa veſica nec dolorem a calculo, neque ſtimulum, percipit. In vermibus inteſtinorum prurit narium orbiculus; in Pictonum dolore colico extenuantur præ cæteris, qui inter pollicem & indicem digitum ſiti ſunt, muſculi; & in abſceſſibus, qui tenuium inteſtinorum tunicis innaſcuntur, excavantur oculi, diminutâ ſcilicèt præter modum pinguedine, quæ oculi globum ſuſtinere debet. Implicatur prætereà medicorum judicium ob ſenſum in variis corporis partibus & gradu, & genere, varium; ita paronychia acutiſſimo dolore digitum torqueat, dum pulmones aut ulcere exedantur, aut abſceſſu computreſcant, abſque ſenſu doloris. Ità cor ulceribus, aut inflammatione, corruptum præter anxietatem, quandòque & palpitationem, nihil ſentit; & cerebrum a vulnere ulceratum omni ſe ſenſu carere indicat.

ſpondeat ; noſtrum eſt, dum dignitatem tueri, dum turpitudinem, & infamiam, evitare volumus, animos exſuſcitare, intentiſque ingeniis ea omnia revolvere, quæ ad artis vim, atque perfectionem, conducant.

Noſtris virtutibus committitur, ut invigilemus, ne, quam in miſerorum ſolamen Deus dedit, in humani generis fraudem, & perniciem, ars pervertatur : ut noſtris laboribus, & noſtris ſub auſpiciis excultâ, utili magis homines, & accommodâ, utantur medicinâ ; nec metuant, ne, præterquam quas ipſe morbus habet, moleſtias addat. Noſtrum eſt, ut impii profligentur, qui ſub ſpecie artis metu, & mœroribus, oppreſſos diripiunt, & dilacerant : de ſalute ægrotantium, de æquo & honeſto, minimè ſoliciti. Ita denique labore, ingenio, virtute, noſtræ dignitati proſpiciendum eſt, ita morum integritate nobis æſtimatio omnium atque fides conciliandæ ſunt, ut digni habeamur, quorum conſiliis, cùm de ſuâ

vitâ, & ſuorum fortunis, agatur, ſe ſuaque audactèr homines committant.

Quæ ad hæc conferant, prælectiones has Lumleius & Caldwaldus piâ ſpe inſtituerunt; ut ſit nimirùm qui circa totius medicinæ principia occupatus, vel nova quædam vobis æſtimanda perpetuò proferat, vel obſcura, atque minùs perſpecta, dilucidiora reddat, atque ad uſum populi aptiora: ut, ſi uſu, non ſcientiâ tamèn ſejungantur variæ medicinæ partes; quæ, cùm in agendo ſe mutuò ſuſtïneant, in judicando etiam ſe mutuò explicent.

Huic itaque cathedræ præpoſitum veſtræ dignitatis me, & publicæ ſalutis, procuratorem habetis; non aliorum dictis timidè adſtrictum, nec novas res moliendo gloriolam temerè aucupantem, ſed in ea cum fiduciâ diſquiſiturum, quæ ad medicæ artis vim, & utilitatem, quovis modo pertinere videantur. Non tamen quaſi Pythius Apollo

pollo ſim, certa ut ſint, & fixa, quæ dixero; ſed ut homunculus unus e multis probabilia conjecturâ ſequens: cùm prudentis ſit aliorum opinionibus indulgere; ſapientis de ſuis, utcunque explicatis, dubitare.

Incipiam itaque ab animâ; quæ, cum corpori animali divinitùs inſita ſanitatem tueatur, motus ſalutares inſtituat, morborumque judicationes vel protrahat, vel perficiat, cùm in corpore ſpiritus ſit omnia regens, & gubernans, primum locum & principatum in medicis diſquiſitionibus jure ſibi vindicat. Simpliciſſima deinde, ex quibus animalis partes tam fluidæ, quam ſolidæ, conficiuntur, elementa perſcrutabor; ut quid, tam in conſtruendis, & conſervandis, quam in diruendis, animalium corporibus, quodque præſtat, perſpiciamus. Ab elementis ad varia animalis fluida, & varia fibrarum genera, progrediar; ut conſtet, quantum inter ſe differant, quibus uſibus ex illâ differentiâ inſerviant, quibuſque morbis

morbis ſingula præ cæteris ſubjiciantur. Ex his quaſi œconomiæ animalis, atque medicinæ, principiis ut majora proveniant, fluidorum motum circularem, ab eoque pendentes nutritionem corporis, ſecretiones, atque excretiones, exponam: quibus omnibus dilucidatis & perſpectis, facile erit de vitâ & ſanitate, de morbis & morte copiosè, atque explicatè, dicere*. Denique ut diſquiſitionibus finem imponam, morbum ſimpliciſſimum ex terræ particulâ in corpore ſubſiſtente natum præ cæteris exponendum proponam: quoniam ſubſiſtens hæc terræ particula, licèt propriis naturæ viribus ſæpiſſimè vel diſcutiatur, vel ſine damno, aut incommodo, quem in corpore occupaverit, locum teneat; ſi accedant tamen vel mora, quæ molem augeat, vel acidum, quod ſpinas affingat, vel plenitudo vaſorum, vel tenſio fibrarum, quæ tranſitum præcludant, mille inferat mala; & am-

* *Propoſitam hanc prælectionum ſeriem, depoſito ob graves cauſas prælectoris officio, repreſſi; quæ de calculoſis concretionibus dicenda habui, ſub aliâ formâ, ſi per Deum liceat, poſthàc traditurus.*

ampliſſimam totius medicinæ ſcientiam, atque exercitationem, poſcat.

De animâ dicturus, quatenùs vel ad vitam illa, vel ad corporis conſervationem, ſpectat, parùm refert, ut in ejus originem atque eſſentiam inquiram; præſertim cum, qui eam rem ſapientiſſimè tractârunt, neque aliis, neque ſibi ipſis, ſatis placuiſſe videantur. Noſtris rebus ſufficiat antiquiſſimos medicos, qui ex collatis ſibi-invicèm obſervationibus opinionem omnem deducebant, credidiſſe principium quoddam ab elementis & materiâ diverſum animalibus ineſſe; quod eorum corpora fabricaret, gubernaret, atque conſervaret; cujuſque imperio, & energiæ, motus omnes animalium eſſent referendi. Ψυχαι τε και σωματα (inquit Hippocrates) ἀι τῶν ἀνθρώπων πλείστον διαφέρουσι, και δύναμιν ἔχουσι μεγίστην. Per φύσιν autem eam ubique, ut videtur, vim intelligit, quæ ex animâ & corpore junctim conſtat: neque alio ſenſu νοσεόντων φύσιες ἰητροί; cum,

cum, ut morbi depellantur, tam animæ impulſus, quam renixus ſolidorum, & ſpontaneæ fluidorum diſſolutiones, vel junctim conferant, vel ſeparatim efficiant. Galenus autem, licèt complexam ſæpè animæ atque corporis vim per φύσιν intelligat, ſæpè tamen ſolam animam φύσεως nomine deſignat: ut φύσις ἐστι πνεῦμα ενθέρμον ἐξ ἑαυτὸ κινούμενον. Et φυσις ἐστι δυναμις ἐξ ἑαυτης κινουμενη, ἀπτα γενέσεως καὶ διαπλάσεως. Neque profectò fieri potuit, ut, dum progreſſus, varioſque morborum motus, explorarent, ſagaciſſimos medicos vis ea lateret, quæ ſummum in corpore imperium ubique exercet: quæ nunc minimis de malis, ne quid detrimenti ſua capiat reſpublica, turbas excitat vix ferendas, nunc morbis ſuâ indole nequaquam exitioſis timidè ſuccumbit; & caſtra, quaſi indigna ut teneantur, imprudens deſerit *.

Ani-

* [*Deſerit.* A nullâ re æquè perturbantur prognoſis & diagnoſis medica, ac a variâ animæ indole; quæ motus ſalutem in morbis allaturos (ſcilicet, ſymptomata) ſuæ firmitati atque alacritati aliquatenùs reſpondentes

Animæ eſt, modo firma ea ſit, & vegeta, ut corporis rebus, vel cuſtos fidus, vel imperator ſagax, perpetuò invigilet; ut fluidorum motum ſuſtineat, eundemque pro corporis

ſpondentes ubiqùe exhibet. Aliquatenus dixi, ſymptomata quippe morborum animæ vigori, materiæ noxiæ quantitati & qualitati, & robori ſolidorum, junctìm reſpondent. Ita in juvenibus magno impetu, magnoque ſymptomatum comitatu, invadunt morbi; quos anima curis & ſolicitudinibus expedita brevì plerùmque, & felicitèr, depellit. In hominibus autem provectioris ætatis, aut quorum animi adverſis rebus franguntur, leves plerùmque ſunt, vel nulli, naturæ motus; adeò ut, ſi debilitatem, languorem, & ciborum faſtidium, excipias, deficientis naturæ, non certantis, ſigna, nihil habeant, quo ſe ſentiant ægrotare: cum tamen morbum fortè alant brevì pernicioſum. Οἱ δὲ γεραίτεροι (inquit Hippocrates de morbis) πάσχουσι μὲν ὀλιγάκις: & aphoriſmo trigeſimo nono ſectionis ſecundæ, οἱ πρεσβῦται τῶν ἰέων τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσιν ἧσσον. ὅσα δ' ἂν αὐτοῖσι χρόνια νοσήματα γένηται, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

In juvenibus diſcretæ ferè ſunt, & benignæ, variolæ; quod ſi iniquis parentum, aut amicorum, terroribus imbuti variolis corripiantur, metu perculſi virus plerùmque intùs alunt, dum ſanguis contagio reſolutus quaquaversùm prorumpat, & fœdâ putredine corpus opprimat.

corporis commodo nunc intendat, nunc relaxet: nunc æquabili ubique curſu in omnes corporis partes ſanguinem diſtribuat, nunc hìc, nunc illìc, vim ejus impellendo concitet, vel molem retinendo augeat. Ut corporis fibras attentè reſtringat, ne juſtos, & præfinitos, limites fluida tranſeant *; nunc tamèn has vel illas ſolvat, aut intendat, ut debitas ſecretiones promovendo vel, quibus opus ſit, ſibi paret fluida, vel ſuam ſanguini

* [*Tranſeant.*] In corporibus ſanis, ubi viget anima, ita perpetuò tenduntur nervi, ut carnium fibræ ſuo ſucco plenæ, duræ, & quaſi ſolidæ, digitis renitantur. At ſi vel metu, vel dolore, vel nimiâ venere, ſubitò commoveatur animus; carnes debilitatæ, & quaſi inanitæ, illicò flacceſcunt: quod, cum de corpore nihil deceſſerit, ſoli animæ de curâ corporis, & ſuo officio, remittenti tribuere licebit. Ut multis rebus imminuitur hæc corporis intentio, ita morte penitùs tollitur. Hinc tumores pure pleni, tumidi, elevati, tenſis fibris ſepti, & circumſcripti, ſtatìm a morte concidunt; & pus, quâ datur minimus renixus, inter carnes dilabitur. Eadem hæc intentio fibrarum ſanguinem intra patula ulcerum vaſa cohibet: eâque per mortem ſublatâ, cerea materia ſanguine ſpiſſior, quâ vaſa arte anatomicâ replentur, in ulceris cavo ſæpiſſimè diffunditur.

ſanguini compagem fæces, & aliena, rejiciendo conſervet *.

Machina enim corporis animati, utcunque ex partibus ad ſuos uſus, ſuamque conſervationem, aptis compingatur; non otio paritèr & labori, non æſtui atque frigori, non alimentis tam varii generis, non perturbatis animi motibus ſufficeret; niſi cuſtos adeſſet, qui machinam, datâ occaſione, ita immutaret, ut plurima evitaret, quæque evitanda non ſunt, damna reſarciret. Ita navis, quâcunque arte conſtruatur, non ſecundis paritèr & oppoſitis, non leniſſimis ventis & turbinibus, non agitatis fluctibus & tranquillis, ita accommodatur, quin propriis viribus commiſſa brevi everteretur. Hoc ne fiat, nautam petit, qui vela nunc con-

* In primâ, atque tenerâ, ætate ſi in externis rebus obſervando, reminiſcendo, atque judicando, nimiùm, ut ſæpè fit, anima occupatur; corporis fibris confirmandis, & fæcibus excernendis parùm plerùmque proſpicitur; & præcox ingenium caduci corporis omen præfulget.

contrahat, nunc ſolvat; qui gubernaculum nunc fortitèr ventis, nunc remiſſiùs, opponat; qui, ut procellas effugiat, nunc littora legat; nunc, ne impreſſa ſcopulis navis ruat, alti maris pericula prudens tentet; qui denique ita machinæ præſideat, ut, porrectis quacunque nervis, nunc partium formam variet, nunc curſum mutet, atque omnia, quibus opus ſit, agat, ut tuta conſervetur.

Ea ſæpè eſt animæ interìm infirmitas, atque imprudentia, ut ab externis rebus perturbata corporis curam vel remittat, vel deſerat. Hinc a gaudio, metu, mœrore, amore, aliâve intenſiore ſolicitudine, ita torpent ſæpe inteſtinorum vires, ut pro ſuâ indole vel aceſcant alimenta, vel putreſcant; rarior fit, & debilior ſanguinis ad minima vaſa propulſio; &, ſi major accedit ſolicitudo, ceſſat ita omnis in corde motus, ut in grumum coeat ſpiſſior ſanguis ad motum circularem vitamque animalis

animalis in posterum ineptus *. Quanta verò est animæ desipientia, atque imprudentia! quæ falsis imaginibus ita sæpè teneatur, ut opes, honores, famam, etiam lasciviam, luxum, aut vindictam, conservationi corporis præponat; quæ nihil se potiùs esse velit, quam ut illud non sit, quod vult †.

Si

* [*Ineptus*] Hanc rem suo exemplo confirmavit Rogerus Hill, Rogeri Hill equitis aurati filius; qui, cum avarum, & durissimum, patrem diù habuisset, cognitâ ex inexpectato patris morte, præ summo gaudio, quo eâ de causâ afficiebatur, statim exanimis concidit: nec revixit, ut divitiis uteretur, in quibus colligendis durissimus pater numerosam progeniem diù miserè afflixerat.

† [*Quod vult.*] Nostris temporibus Calista, pulcherrimâ formâ mulier, atque omnibus artibus induta, quæ amorem alliciunt, & conciliant, in adulterio deprehensa tanti erat, tamque excelsi, animi, ut repudii ignominiam spontaneâ vitæ derelictione commutaret. Hæc, cum præ dolore & solicitudine ita febre opprimeretur, ut de morte nemo dubitaret, a nobili marito promissum impetrabat, ut morienti condonaret, & coràm delicti veniam confirmaret. Hoc promisso freta spem etiam fovebat, suâ se pulchritudine, suisque gratiis, ita usuram, ut pœnitentiâ con-

Si cætera omnia cum ratione ageret, maximum fortaſsè foret ex his rebus argumentum, quod animæ immortalitatem evinceret; quæ e loco levibus de cauſis incommodo in alium jucundiorem videretur migrare: quaſi lætior eſſet campus, & ad ſuam felicitatem aptior, quo ſe conferret hoſpes faſtidioſus. Quanta vero ineptia animæ! quantus pavor! quæ, quòd ex medicamine ſæpiùs olim propinato violentiùs ægrotaverit, ab hauſtu ejuſdem coloris conſpecto, aut ex iiſdem fortè poculis oblato,

trita aliquâ ſaltèm conditione retineretur. Cum autem ſpe plena medici curâ convaluiſſet, hanc etiam febrem cæteris mulieris fallaciis eſſe annumerandam affines nimiùm inexorabiles marito perſuadebant: rus itaque abiens miſit, qui uxori nunciarent, ſatis ſe egiſſe, qui promiſsâ veniâ vitam conſervaverat; & præter repudium nunc nihil velle. Nunciato hoc mariti conſilio, nihil aliud mulier reſpondebat, niſi quod, ſibi ideò moriendum ſit; & pulſu per gradus concidente, ſupervenienteque pectoris oppreſſione, intra paucas horas ἀβίως vivere deſiit.

lato, mira quandoque concitat tormina, alvumque, quaſi medicamen verè hauſiſſet, ſolutam deponit *. Quid dicam de animæ pervicaciâ? quæ in matre, cum infantem ſubitâ morte interemptum credat, reſeratis ſtatim mammarum vaſis, lac omne, quod collegerat, ſanguini refundit; nec, ut reviviſcenti nutrimentum præbeat, ea denuò reſtringit. Qualis ſit denique animæ ratio? quæ ex ſolâ ſuſcepti contagii opinione morbos ſibi fingat: aut ſuſcepti quovis modo morbi ex narratâ infeliciter ægrotantis hiſtoriâ vim augeat; mortemque metuendo mortem inferat. Quâ ſuperbiâ ſuas ſæpè res gerat, atteſtor virgines pubertate jam floridas, & menſtrua primùm meditantes; quarum cruciatibus ſi officioſæ medicantium manus aliquotiès ingerantur, & ſubſtitutis exinanitionibus requiſitæ plenitudines tollantur, ſuam miſellis

* [*Solutam deponit.*] Hujus rei exemplum tradit Olaus Borrichius in Actis Hafnienſibus: Volumine quinto obſervat. 49ª.

lis opem in poſterum anima recuſat: ut ſua munera aliorum artibus malè inquinentur nimiùm dedignata. Vereor porrò, ne attentiùs obſervantibus ejuſdem faſtûs in aliis etiam febribus exempla præbeat: vereor, ne anima vel ſuo modo morbos, vel nullo, depellendos plerùmque velit *.

In-

* [*Plerùmque velit.*] Suus eſt, ut videtur, cuique morbo proprius ſalutis reſtituendæ modus; cui pro ſuâ energiâ anima innititur. In picâ virginum quid calcem appetant ægræ, aut cretam? niſi ut acidum in ventriculo retundant; quid ſabulum, aut carbones, petant? niſi ut viſcidum ventriculo, atque inteſtinis, inhærens avium more conterant, & attenuent: quid ſal? niſi ut ſolidorum inertiam aucto ſtimulo compenſent. In ſcorbuto navigantium quid agat ille ad acidos fructus appetitus? niſi ut ſanguinem ex putridis alimentis acrem oppoſitis ſalibus temperent.

In omnibus morborum motibus noxiam materiam ſuo modo anima, eâ ſcil. ſecretione, quæ ſola convenit, ſuo tempore, atque ordine, ejicere meditatur: nec ſine ſummo corporis periculo in ſuo opere perturbatur. Una eſt podagræ criſis articuli tumor rubens, dolens, nitens, cum membri ſudore, adjectis ſæpè veſiculis acri lymphâ repletis. Hunc tumorem pectoris oppreſſio, in ventriculo nauſea cum ægritudine, acidi eructatio, & intercurrens ab-

Infirmam, ineptam, pervicacem, & ſuperbam, animam conſpeximus, quæ noſtris rebus, ſaluti, ac vitæ, præeſt: ubi vegetam,

dominis inflatio, plerùmque antecedunt. Si interìm aut pectoris oppreſſioni largâ ſanguinis miſſione malè occurratur, aut inteſtina præpoſterâ catharſi perturbentur, omnem de podagrâ curam anima deponet; & noxiam materiam vel in corporis perniciem intùs alet, vel iniquâ excretione, ſub catarrhi ſcil. vel diarrhœæ, formâ, quæque ſaluti reſtituendæ parùm ſufficiat, depellere conabitur.

In variolis diſcretis & benignis eruptio puſtularum quarto die incipit, nec ante ſeptimum tota abſolvitur. Hanc puſtularum eruptionem antecedunt nauſea, dolor capitis & dorſi, pectoris oppreſſio cum pulſu pleno, forti, & frequenti: ſi, ut his ſymptomatis occurratur, plenitudo ad robur corporis, & ſalutem, neceſſaria vel miſſione ſanguinis, vel nimiâ catharſi, minuatur, quid aliud agitur? niſi ut natura debilitata in ſuo opere impediatur. Si ut nauſea tollatur, quam, ne alimentis corpus oneretur, anima inſtituit, emeticâ adhibeantur, quid agitur? niſi ut anima, concitato tumultu, in ſuo opere præcipitetur; & morbida vis in caput, faciem, & fauces, copioſiùs impellatur. Si ſtimulantibus & aromaticis ſolidorum vis, & tenſio, præter modum augeantur, quid aliud agitur? niſi ut, juſtâ comperendinatione denegatâ, natura, nec collectis teſtibus, nec compa-

tam, ubi ritè doctam atque eductam, ubi malis moribus, & exemplis, non contaminatam, eam reperimus; quantam ejus ſapientiam, prudentiam, & conſtantiam, demiramur! ἄιπα διαπλάσεως incredibili quâ ſagacitate corpora animalium effinxit! quæ ita corporis partes ſibi invicèm adaptavit, ut ab injuriis ſe mutuò protegant, & deſtinata munera exequendo corporis conſervationi, ſimùl & generis perennitati, maximè inſerviant *. Quâ prudentiâ, & conſtantiâ,

ratâ ſuâ defenſione, rea in judicium, & ruinam, trahatur.

In nullâ autèm re miranda magis eſt animæ ſagacitas, quam in puſtulis variolarum expellendis; quas non ſimùl, ſed in partes diviſas quatuor eruptionis diebus reſpondentes, extrudit. Cum enim ſua ſit cuique puſtulæ febris, quæ ſuum principium, incrementum, & ſtatum percurrit; cumque puſtulæ non niſi in incremento acutiùs doleant; hâc arte cautum eſt, ut natura vim morbi in partes ſibi invicèm continuatas diviſam faciliùs perferat, & ſuſtineat. Ita exercitus diviſis copiis provinciam pertranſiens cavet, ne nimiâ multitudine vel terræ depopulentur, vel, victu deficiente, ipſa multitudo fame concidat.

* [*Inſerviant.*] Corpora animalium ex vaſis conſtant fluido renitente plenis; quæ ſub variis corporis

tiâ, ſanguinis motum dirigit! quæ glandulas ad debitum tempus relaxat; nec in juvenibus pertranſiens ſemen priùs ſiſtit, quam robur ſubſit, ut fœmellas, & progeniem

ris motibus vel tenſa, vel compreſſa, facillimè diſrumpantur. Huic incommodo ut præcaveatur, vaſa ex membranis juſtâ ubique vi, atque elaſticitate, præditis conſtruuntur; ut fluidorum quantitati vel auctæ, vel imminutæ, reſpondeant. Ab hâc vaſorum elaſticitate, qualiſcunque ea ſit in diverſis corporibus, latitudo vitæ, & latitudo ſanitatis, pendent: termini ſcil. intra quos augeri, aut imminui, poſſunt animalis fluida abſque vitæ diſpendio, aut ſalutis incommodo. Arteriæ præterea animalium ſanguinem recipere, & vi quantitati fluidorum, (ſeu ponderi movendo) & reſiſtentiis ſuperandis, reſpondente projicere debent. Hæ itaque arteriæ ex ſubſtantiâ omnium, quas natura fert, maximè elaſticâ conſtruuntur: ex ligamento ſcilicèt elaſtico, cujus tanta eſt elaſticitatis vis in avium alis, ut ad tertiam partem maximæ ſuæ longitudinis ſe contrahat. Hujus eſt elaſticitatis, ut æquabilitèr diſpoſita in omnes arteriæ ramos ſanguinem ſimùl, & æquabilitèr, ducat; unde tota arteria ſimùl, atque æqualitèr, repleta ſimùl etiam, & æquabilitèr, ſe contrahat; & ſummam ſuam vim ex elaſtico niſu, & tenſione, quam a ſtimulo repletionis acceperat, compoſitam ſanguini imprimat; ut fluida in venis & lymphaticis

niem, eurent: quæ lactifera mammarum vaſa non aperit, non amore puellas priùs exurit, quam vigor corporis ſufficiat, ut partum foveant, & ferant, maturum expellant, & expulſum uberrimâ lactis ſecretione nutriant. Quæ eam ubique habeat locorum rationem, ut in udis & calidis, ubi major rerum omnium copia, citiùs & ſæpiùs veneris oeſtrum animalia patiantur; in

cis eo momento promoveat, quod auriculæ cordis dilatandæ ſufficiat.

Ne minima vaſa diſrumpantur, aliâ etiam arte proſpicitur: cum extrinſecùs partium ambientium, & circumpoſitarum, firmitate, quaſi loris & munimentis, roborentur. Quanta ſit hæc partium ambientium vis ad vaſa conſervanda, ex duobus experimentis abundè conſtat: quorum alterum ex lienis vaſis penicillatis deſumitur; quæ in recèns natis per venam umbilicalem abſque rupturâ facillimè replentur; cum eadem vaſa, aperto abdomine, & immiſsâ in venam portarum cereâ materiâ, ſemper diſrumpantur: ſublato ſcilicèt, qui clauſis abdominis parietibus debetur, renixu. Alterum experimentum in vaſis piæ matris cereâ materiâ replendis conſtat: quæ, ſi in recens natis, quorum laxa crania facilè cedunt, cerâ repleantur, ubique ferè diſrumpantur; quod tamèn in trimis, aut quadrimis, quorum crania confirmantur, rariſſimè accidit.

in frigidis & ſiccis, ubi parcior fructuum proventus, quam ut progenies numeroſa nutriatur, ſeriùs & rariùs ad venerem conciuntur. Quantam conſtantiam animæ, atque firmitatem in mammis, aut artubus, auferendis videmus! quantam ejus in pœnis, & cruciatibus, ne imbellis, & indecora, videatur, ad mortem uſque perferendis virtutem demiramur!

Ad corporis autem conſervationem quam vim, & ſolertiam, exerceat anima, quid in morbis vel depellendis, vel ſublevandis, præſtet, quâque ſæpè vel ignaviâ, vel protervitate, ab inceptâ operâ deſiſtat, ex perſpecto partûs negotio optimè cognoſcemus. Fœtus mole jam & viribus maturus, cum pondere ſuo prægravat, motuque matrem violentiùs urget, ipſe fit morbi cauſa, & materia; quam prudens anima, ut utriuſque ſaluti conſulat, brevi ejiciet. Fœtum itaque vel ex animæ ſuæ præcepto, vel ex capitis gravitate, aptiſſimè ſitum levibus primò,

primò, qui verò, ut reſeretur uteri clauſtrum, ſufficiant, conatibus impellit. A levioribus ad vividiores impetus, & fortiores conatus, gradatìm inſurgit; ut junctam clauſtri, cutis, atque ligamentorum, vim vincat, & ſuperet. Ne continuo niſu diſſipentur matris vires, ne perpetuò compreſſa fluida ſtagnent, & inflammationem inferant, ne fibræ nimiùm ſubitaneâ diſtentione dilacerentur, ne ipſe denique fœtus continuati diutiùs certaminis labore pereat; per acceſſus rem, atque intervalla, peragit. Corpus otio, & quiete, per vices reſtituit; & ſe ſobolis futuræ ſpe, atque gaudio, reficit. Tandem verò, ut inceptum opus abſolvat, partibus jam humore relaxatis, lubricoque muco obductis, vires colligit: ſuſpendit, ubi id res poſtulat, omnem in corpore ſenſum, auctoque ſimùl ad ſummum impetu, fœtum extrudit. Peracto opere, rejectiſque leviore uteri motu, ut plerùmque fiat, ſecundinis,

ſomno ſeſe anima recondit *; ut ſuis rebus attentiùs incumbat, ſtagnantia diſſipet, contuſa reſarciat, vires reficiat, compoſitoque tumultu, corpus revaleſcat. Fœtus intereà jam natus ſuos edit vagitus: an ut amicos, quos nullos novit, an ut matrem, in cujus gremio fovetur, in auxilium adducat? veriſimilius verò videtur, ut receptum aerem fortitèr comprimendo pulmonum vaſa, & veſiculas, aperiat; factoque ſanguinis impetu in caput, oſſa cranii partu compreſſa in

* [*Anima recondit.*] Obrepente ſomno ab externis rebus ſe anima removet; quibus ſine nimiâ fibrarum aut tenſione, aut laxitate, attendere non poteſt. Pulſus itaque dormientibus erectior, mollior, atque æquior, eſt, quam vigilantibus; totumque corpus ad juſtam fluidorum diſtributionem, a quâ ſalus, & robur, maximè pendent, fit accommodatius. Sub ſomno prætereà corporis conſervationi, motibuſque vitæ neceſſariis ritè exequendis, vacare anima præcipuè videtur. Hinc infantibus ſomni frequentes, ut cordis, thoracis, inteſtinorum, motus ordinent, & moderentur. Hinc in variolis maximè benignis ſomnus frequens fit, & profundus. Hinc in febribus petechialibus, quæ vel vigilias, vel ſomnos perturbatos, comites plerùmque habent, ſomni præter morbi modum aucti, ſi placidi ſint, & profundi, aphtharum eruptionem ferè præcedunt.

in priſtinam formam, atque ſitum, reponat. Febris itàque ſpeciem in hoc partûs negotio habemus inſtitutam ob materiam corpori jam inimicam, ex principio, incremento, & ſtatu, compoſitam, per vices remittentem, optatâque criſi deſinentem, quam propriis corporis viribus, ſuiſque conſiliis, anima lentè feſtinando felicitèr abſolvit.

Si debilis, iners, & inepta, ſit anima, tardè partum, atque ſegnitèr, inchoat; languidos conatus diutiùs remittit; nec, niſi calidis ſorbitionibus, vel medicamentis, refecta, ad iteratum certamen concitatur. Si marito intereà quidpiam, aut familiæ, aut rebus, adverſum ex inopinato eveniat; ſi ominoſum quid conſpiciat; ſi alterius ſexûs fœtum fore, quàm quem vellet, ex aniculæ forsàn opinione ſuſpicetur; inchoatum opus protervè relinquit: nec, ut corpus hæmorrhagiâ (ut ſæpè fit) brevì periturum conſervet, ad munus denuò revocabitur. Si aut

adſit, quem odit, aut abſit, quem adeſſe cupit, mirum quâ pervicaciâ partum ſiſtit: nec, niſi voti compos, proli ſuæ, aut ſibi, proſpicit. Non inertis materiæ, non machinæ pondere preſſæ, non corporis ſtimulis irritati, ac neceſſariò agentis, ſed animæ de alienis ineptè, atque imprudentèr, cogitantis hæc ſunt: cumque ſuo conſilio, & arbitrio, hæc agat, cum rerum adverſarum auctor ſit, benè ac prudentèr geſtarum ſibi gloriam arroget. Licebit itaque mammas ob mortuum in utero fœtum flaccidas animæ ſui damni conſciæ, & ab inutili officio abhorrenti, attribuamus. Si, demiſſis, & relaxatis, mammis, vivus validuſque partus proveniat, licebit matri infauſta ominemur; animamque ſui conſilii, futuræque fugæ, præſciam demiremur.

Si, ut noxium corpori foràs ejiciat, febrem ex ſuo conſilio anima inſtituat *; ſi, quo

* [*Anima inſtituat.*] Animam ſuo conſilio febres concitare Gometius Pereira, Helmontius, & Georgius Er-

quo meliùs hanc ſuſtineat, & abſolvat, ſanguinis copiam, vel itineris commeatum, vel inſtrumenta belli, ſibi paret *; ſi plenioris nutrimenti alimenta rejiciat, & tenuiſſima

Erneſtus Stahlius præ cæteris docuerunt. Horum opinionibus contrariam noſter Sydenhamus amplectitur: cum naturam, quam febrium cauſam conſtituit, *nihil aliud eſſe quam cauſarum naturalium complexum quendam* velit; *quæ cauſæ, brutæ licèt, & omni conſilio deſtitutæ, ſupremi numinis infinitâ ſapientiâ ità diſponuntur, ut, neque fruſtrà quidpiam, nec, niſi quod optimum eſt, ſuiſque privatis naturis maximè accommodum, moliantur: ideòque, perindè ac automata, non pro ſuo, ſed artificis, conſilio moveantur.* Hanc Sydenhami ſententiam ſecutus Laurentius Bellinus febres aquarum ſuo pondere fluentium legibus exponendas, & explicandas, voluit; poſitiſque in minimis quibuſdam vaſis obſtructionibus, ſanguinem aucto motu, calore, atque ſtimulo, per patentia vaſa transferri, ſeu febrem fieri, docuit. Facilem hanc febrium theoriam ignava gens avidè arripit; &, prætermiſſis, quæ ex ſpe, aut metu, ex mœrore, vel gaudio, ex animâ nimiùm vel irritabili, vel inerti, in febre proveniunt, ita de obſtructionibus amovendis, & febribus tollendis, audaciſſimè garrit, ut naturam detectam jam, & ſubactam, unco duci ab ineptiſſimis crederetis.

* [*Sibi paret.*] Omnis motus in corpore ope fit, & interventu, fluidorum; quæ, dum in febribus auctâ ſuâ mole elaſticas arterias magìs diſtrahunt,

nuiſſima petat fluida, ut optimos ſibi milites, & in hoſtium caſtra minimè tranſituros, colligat * ; ſi ſomno ſe, aut inertiæ ſpecie, ab externis rebus ſubducat, ut vel vires conſtituat, vel rei gerendæ magnitudinem, atque periculum, meliùs perpendat ; ſi vim ſanguinis nunc æqualitèr ubique, nunc hìc

majorem earum, atque fortiorem, contractionem inferunt : hìnc major fit fluidorum omnium in corpore niſus, motus, calor, concoctio, reſolutio, ad novas compoſitiones ſalutares formandas, & ad criſes ſubeundas, aptitudo.

In longis prætereà febribus, cujus generis ſunt catarrhales, varioloſæ, miliares, & petechiales, ſudoribus continuis, quamvis blandis, reſolvitur, atque diſſipatur, ſanguis. In his itaque febribus, ſi ſanguinis copia, quæ motibus exequendis, atque diſſipationibus compenſandis, ſufficiat, non ſit coacervata ; aut ſi de collectâ quantitate medici cura nimium, ut ſæpe fit, detraxerit ; perſpectâ ſuâ debilitate, ſalutis ſpem anima abjicit : quamque infauſtis auſpiciis inſtituerat, ſponte ſuâ, non morbo, aut ſymptomatum vi, oppreſſa, febrem brevì claudit.

* [*Colligat.*] In omni febre vel tenuiſſima fluida, vel ſubacida, ægri appetunt ; ea ſcilicèt, quæ vel viſcidum, & coactum, ſanguinem optimè ſolvant, & diluant ; vel vim ſalium putrefacientem maximè obtundant.

hìc, nunc illìc, pro morbi more intendat *; ſi debitis intervallis, ne labore ſuos, vel æſtu, frangat, nunc remiſſiùs nunc acutiùs agat; ſi aſcitis in auxilium nunc ſpaſmis & tenſionibus, nunc tuſſi, nunc vomitu, prælium ſuſtineat †; ſi denique propoſiti tenax

* [*Intendat.*] In ephemerâ febre ſolâ ſuâ quantitate auctâ ſanguis peccare videtur: motus itàque ſanguinis ſub illâ febre æqualitèr in toto corpore intenditur. In podagrâ unus fortè articulus ſufficiat, ut morbidam materiam eliminet: is itàque tumet, dolet, pulſat, omnemque febris vim ſolus ſuſtinet. In variolis, quæ ſanguinem variis modis inficiunt, & criſin eâ de causâ complicatam poſtulant, ſanguis aucto momento in corporis ſuperficiem primò impenditur, ut protruſio puſtularum ritè, atque ordine, peragatur. Abſolutâ eruptione, in fauces atque faciem fluida urgentur, ut ptyaliſmo proſpiciatur; eoque ritè diſpoſito, ad corporis ſuperficiem ſanguinis niſus denuò revertitur cum calore & tenſione cutis, quæ ad puſtularum maturationem requiruntur: cumque morbus maturatione puſtularum, & ſalivæ profluvio, penè ſubigatur, ad manus tandèm, & pedes, fluidorum vis cum ſalute derivatur.

† [*Suſtineat.*] Sternutatio, tuſſis, vomitus, motus ſunt apprimè utiles; quos anima ad corporis conſervationem ex prudenti ſuo conſilio ſæpiſſimè inſtituit. Hi motus auctam habent cordis, pulmonum, hepatis, lienis,

tenax inceptum opus non priùs deſerat, quam hoſtem jam ſubactum, & judicatum, foràs ejecerit *; licebit ducem fortiſſimum, atque ſagaciſſimum, revereri: licebit animæ pro corpore ſuis conſiliis, & virtutibus, conſervato gratulari.

Calli-

lienis, atque inteſtinorum, compreſſionem & triturâm; adèoque fluidis, quæ horum cavis, aut vaſis, inſunt, promovendis, ſolvendis, &, ſi datur porta, ejiciendis, conferunt. Dum autem cor, pulmones, & quæ abdomine conduntur viſcera, violentiùs comprimuntur, augentur neceſſariò ſanguinis in alias partes niſus, & momentum; unde fortior fit pulſus, majorque ſanguinis motus, commixtio, ſolutio, & citatior in fluidis lymphaticis, & ſecretis, progreſſio. Spaſmi præterea, & tenſiones, a morbidæ materiæ ſtimulo provenientes, dum vaſa comprimunt, & coarctant, motum ſanguinis in artubus concitant; & in morbis mali moris, cujus generis ſunt variolæ, & febres miliares, animam de ſalute corporis ſolicitam indicant; ideòque incipiente febre, & in corpore nec debilitato, nec vi morbi oppreſſo, felicem plerùmque exitum prænunciant.

* [*Ejecerit.*] Febres catarrhales, & quæ peſſimi ſunt moris, ſub febrium quaſi intermittentium formâ ſæpiſſimè incipiunt; ſæpè etiam, criſi nondum aut inceptâ, aut abſolutâ, ſine ratione ceſſant; & mortem, vel infirmam atque perditam corporis valetudinem inferunt; niſi morbi reverſione hæc præcaveantur.

Calliditatem verò animæ, atque aſtutiam, non præteribo; quæ, ſi otioſa, aut de rebus a ſuo munere conſervandi corporis alienis nimiùm ſolicita *, aut medicis artibus (ut ſæpe fit) malè perturbata †, hoſtem

* [*Solicita.*] Tanta eſt in morbis metûs, ſolicitudinis, deſiderii, vis, ut illis intentum, & exagitatum, non modò non benè valere hominem, verùm a vitæ periculo non longè abeſſe, dicam. Si accuratiùs enim perſpiciantur, quorum corpora adverſis rebus franguntur, illos leviſſimis morbis principio tentari, (cujus generis ſunt proſtratio appetitûs, imminutus, aut ſuppreſſus, menſtruorum in fœminis, aut ex hæmorrhoidibus in viris, fluxus, ſubſiſtens in pedibus, aut axillis, ſudor aſſuetus, aut puſtulæ in cute evaneſcentes) iiſque ſenſim creſcentibus, accedenteque morbo quodam ex his nato, interfici reperiemus. Ab eâdem hac ſolicitudine oritur in oppidis bello oppugnatis maligna illa febrium, atque pernicioſa, indoles: cum hominum animæ aut mortis timore, aut cæſorum deſiderio, aut futuræ ſervitutis metu, ita perpetuò occupentur, ut morbis neque avertendis, neque curandis, ſufficiant.

† [*Perturbata.*] Ut in febribus petechialibus, quas, quoniam leviſſimis, atque remittentibus ſymptomatis ſæpiſſimè incipiant, cortice Peruviano, catharticis,

tem ita neglexerit, ut copiis auctum, aut ſtationibus confirmatum, non niſi ſummo ſuo cum periculo aggredi detur, mutatâ ſæpè belli formâ, quem inſtructâ acie, acutoque prælio, debellare non audet, eum cunctando vel fame, vel levibus præliis, & velitatim, vel refrænare, vel imminuere, conatur. Ea enim plerùmque eſt omnis inter morbos acutos atque longos differentia, ut in acutis, nullâ habitâ temporis ratione, vel victoriam, vel mortem, ad extremum uſque anima perſequatur; in longis, vel facto ulcere, vel iniquâ quâdam criſi ſubindè inſtitutâ *, ſubſiſtentem

tharticis, ſanguinis miſſionibus, ſalibus temperantibus, aut frigidis ablutionibus, ignari in ægrotantium perniciem plerùmque reprimunt; cum tamen febres ſint verè catarrhales, & curationem maximè contrariam poſtulent.

* [*Iniquâ quâdam criſi ſubindè inſtitutâ.*] Cujus generis ſunt puſtulæ, ulcera, ſanguinis fluxus, albus mulierum fluor, diarrhœæ, intertrigines axillas, aut genitalia, obſidentes, & catarrhi: quæ omnia criſes plerùmque ſunt vicariæ; nec ſine acceleratâ corporis

tem in corpore morbum reprimere, & intra limites coercere laboret: ut in illis perfectam ubique ſalutem, in his temporariam corporis conſervationem, anima meditetur: ut in illis, Romanorum viribus & conſiliis florentium prudentiam imitata, nullam pacem cum hoſte intra limites imperii manente faciendam velit; in his eorundem Romanorum more, cùm vitiis, luxu, & inertiâ, frangerentur, nunc provinciam victoribus occupandam tradat *, nunc

pernicie tolli, aut averti, poſſunt. De catarrhis obitèr, cum viſcidum omne ex ſale oleo & aquâ conſtet, cumque ulcera in cruribus ſanata catarrhos ſæpiſſimè inferant, & viciſſim ulcera ſponte nata, aut arte facta, catarrhos ubique aut minuant, aut tollant; conjicere licebit, ſputa viſcida non morbum eſſe, ſed humorum acrium oleo & aquâ obtectorum excretionem corpori conſervando neceſſariam.

* [*Tradat.*] Ut in ſcirrhis, cancris, ulceribus exedentibus aut fiſtuloſis, tumoribus œdematoſis, & phthiſi pulmonum; quorum omnium origines ubique ferè vel ab excretione quâdam ſuppreſsâ, vel a febre malè curatâ, deducantur.

nunc hoſtes civitate donatos ſuis immiſceat, & adnumeret *.

Quod ſi ſortis ſuæ pertæſa omnem de corpore conſervando ſolicitudinem anima abjecerit; vel, perpensâ benè periculi magnitudine, in ſuâ neque virtute, neque aſtutiâ, ſatis habeat præſidii, ut corporis ruinam avertat; vulnera, ſi quæ corpori incidiſſent, aut fonticulos & ulcera, quibus in ſalutem anteà eſſet uſa, remiſsâ omni inflammatione, exſanguia, pallida, atque exſiccata deſerit †. Nunc ad certamen ægrè pro-

* [*Adnumeret.*] Sub ſcorbuti ſcilicèt nomine: quem morbum Sydenhamus noſter, multâ experientiâ doctus *ſæpè nihil aliud eſſe* aſſerit, *quàm morborum fientium, nondum vero factorum, effecta, vel infelices reliquias morbi alicujus nondum penitùs devicti, a quibus ſanguis, cæterique humores, contaminantur.*

† [*Deſerit.*] Ἔλκος δὲ, ἢν τι καὶ περιγιγνοιὸς τύχῃ ἔχων, ἢν τι καὶ ἐν τῇ νόσῳ γένηται, καταμανθάνειν δεῖ. ἢν γὰρ μέλλῃ ἀπόλλυσθαι ὁ ἄνθρωπος, πρὸ τοῦ θανάτου παλιδνόν τι καὶ ξηρὸν ἔσται, ἢ ὠχρὸν τι καὶ ξηρόν. Hujus rei exemplum mihi præbuit lanionis ſervus juxta

provocata cunctantèr hoſtem, atque languidè, oppugnat *; nunc acriùs inſequentem perterrita fugit †. Nunc infauſta ſibi omnia ominata deponit arma ‡, nulliſque ſe

juxta templum divi Pauli habitans; qui cultello inflictum vulnus abdomine acceperat, quod ſpecillo minùs accuratè tentatum ad abdominis cavum non penetraſſe credebatur. Inſequente autem die, cum nullus erat in vulnere humorum fluxus, aut inflammatio, pallidâ vulneris facie perterritus chirurgus a medico petebat, ut proximæ deligationi adeſſet. Tertio itaque die, cum eadem eſſent omnia in vulnere, licèt nec pulſus deficeret, neque frigidus adhùc ſudor adeſſet, mortem tamèn ab inteſtino vulnerato jure medicus prædicebat.

* [*Oppugnat.*] In morbis malignis & peſtilentibus, qui ſanguinem ubìque habent ad putridam diſſolutionem aptum, febres lentè concitatæ nunc promoventur, nunc ſupprimuntur; ſuiſque tandem viribus diffidens anima, anxia, mœſta, deſperata, plerùmque ſuccumbit.

† [*Perterrita fugit.*] Ita ſphacelo inteſtinorum morituri, cum jam dolor omnis ceſſaverit, cumque nihil ſe pati profiteantur, torvo tamèn atque perturbato vultu, ſolicitam animam, atque inevitabili corporis ruinâ perterritam, indicant.

‡ [*Deponit arma.*] Motus ſcilicèt ſalutem allaturos, ſitim, virium intentiones, cordis & arteriarum

ſe aut alimentis, aut medicamentis, refici curat *. Nunc cocta intempeſtivè dejicit; nunc cantu ſe, aut dapibus, oblectat; & corpus, quod teneri diù, atque conſervari, non poſſit, putredine diruendum ſpontè, non coacta, relinquit †. Prudentis hæc for-

robur; quæ, ſi ſubitò in febribus, & ſine causâ, ceſſant, ex Hippocratis, & omnium medicorum, obſervationibus, certam ægrotis perniciem prænunciant. Δίψα παραλόγως λυθείσα ἐν ὀξέσι κακόν. Καὶ αἱ παρὰ λόγον κενεαγικὸν ἀδυναμίαι, μὴ ἔυσης κενεαγείης, κακόν.

* [*Refici curat.*] Inter ea, quæ in acutis maximè terrent, præcipuum eſt alimenta ægros, & medicamenta, obſtinatè, & ſine causâ, averſari; idque non tàm, quòd corporis exinanitio neceſſariò ſequatur, quàm, quòd animam de ſuis rebus deſperare, indicet; quæ vitam, ut videtur, producere deſinit, ne cum corpore morbum, & miſerias, alat ſine ſpe ſalutis. Εὐ ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς ἀγαθὸν, τὸ δ' ἐναντίον κακόν.

† [*Spontè, non coacta, relinquit.*] In febribus aliiſque morbis, quantum vel ex ſymptomatis, vel ex cadaverum diſſectionibus, vel ex ſubitaneo virium collapſu, conjicere liceat, ægri priùs plerùmque moriuntur, quàm vel ob vaſorum diſſolutionem, vel ob inſtrumentorum ineptitudinem, mori neceſſe ſit:

fortaſsìs animæ ſint: at de nugis intereà quàm ſolicita videtur, quæ in limine quandòque hæret migratura *, ut hæredi, quæ agenda ſint, mandet; aut amicum advenientem expectet; cui vale dicat, ſuique nominis famam in tutelam tradat.

Talis profectò videtur, quæ hominis corpori præponitur, anima; quæ, ſi penitùs ſaperet, ſi, rejectis nugis & ineptiis, ſoli corporis conſervationi invigilaret, venientibus malis occurreret, aridam ſenectutem diù retardaret, vitamque, quatenùs ab internis cauſis tolleretur, in milleſimum forsàn annum, produceret. Si aut nulla foret anima, aut exiguis corporis rebus adeſſe non vacaret,

fit: quìn potiùs a perniciosâ putredine ità abhorrere anima videtur, ut procùl illam advenientem fugiat, & evitet.

* [*Hæret migratura.*] Variæ ſunt apud auctores moratæ mortis hiſtoriæ; inter quas memorabilem, ſanè & mirandam, tradit Nicolaus Pechlinus, pag. 396tâ.

caret, non milleſima hominum pars anni unius damna, & incommoda, perferret.

Tali dominæ inſervit medicus; quæ, ſi mollitèr, ſi timidè res ſuas, & ſegnitèr, gerat, medicis artibus allicienda, excitanda atque provocanda eſt; ſi nimio, atque effrænato, impetu concitetur, delinienda eſt, atque coercenda: quæ denìque ità eſt in omnibus rebus moderanda, ut vim, & fortitudinem, prudentiâ temperet, prudentiam firmitate, & conſtantiâ, ſuſtineat.

Si vegeta, ſi ſagax, ſi aſperis rebus non perturbata, ſui juris, & arbitrii, ſibi conſtet, ſervos in ſuis operibus, non ſocios, & participes, recipit: qui viam præmonſtrent, non patitur. Hæc Aſiatici imperatoris more vigiles ſuos, & attentos, ſatellites, mutos tamèn, & ſubmiſſos, vult: quibus, dum ægrotantium ſpem fovent, & protrahunt, dum impedimenta tollunt, & poſtulata

lata porrigunt, dum pompæ & ſplendori, ut ſæpè fit, conferunt, cavendum eſt, ne ſedulitate malè officiosâ moleſtias afferant. Hanc nos obſervando, colendo, atque adjuvando, humani generis conſervationi, & medicæ artis dignitati, abundè ſatis, & quantùm hominibus licebit, conſulemus. Φῦσις γὰρ τὰ δέοντα ποιεῖ, καὶ φύσιος ἀντίπραξις, κένεα πάντα.